

In: 4848
c.2

D. D.

PROLEPSIS PLANTARUM,

QUAM,

CONSENS. NOBIL. nec non EXPER. ORD. MED.

IN ILLUSTR. AD SALAM. SVION. ATHENÆO,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO *atque* EXPERIENTISSL.

DN. Doct. CAROLO LINNÆO,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,
S:Æ REG. M:TIS ARCHIATRO MED. & BOTAN.
PROFESSORE REG. & ORD. ACAD. UPS. HOLMIENS.

PETROPOL. BEROL. IMPERIAL. LONDIN. MONSPEL.

TOLOS. FLORENT. SOCIO,

Publico examini submittit

HINRICUS ULLMARK, VERMELANDUS.

IN AUDIT. CAR. MAJ. DIE XXII. DECEMBRIS
ANNI MDCCCLX.

H. A. M. S.



U P S A L I A.

18.

1760

114

BS

VIRIS Consultissimis.
POSSESSORIBUS Offi
AVUNCULIS HO

Dn. ERICO
LUNDSTEDT,

Secretario Regio.

Dn. JOHANNI
KOLTHOFF,

Primitias has studiorum meorum Vobis, Fauto
verborum honore rogans, velitis, pro solito
culis. Paterno me amore, usque a prima
stra in me merita dignis celebraturo laudibus &
bis, dum mihi persuadere ausim, non delectari
tentos animo, Vestrae benevolentiae nunquam futu
ardentissimis precibus, pro Vestro & Vestrorum
nec, quoad vixero permanfurus.

Ampliss. & Spectatissimorum

cultor obser
HINRICUS

*atque Spectatissimis,
cinarum Ferrariarum,
NORATISSIMIS,*

Dn. LEONHARDO
LENNARTSSON,

Dn. HERMANNO
KOLTHOFF,

res atque Avunculi Optimi, offero, quo decet
in me favore Vestro, eas mitioribus adspicere o-
ætacula mea, semper complexi fuistis; quare Ve-
viros deficiunt & verba: sed quid opus est ver-
Vos laudum Vestrarum prædicatione, unice con-
ro immemore. Ego autem nunquam desistam,
perpetuo flore, DEO Optimo Maximo supplicare,

NOMINUM VESTRORUM

vantissimus,

ULLMARK.

Viro Spectatissimo,
Dn. MAGNO ULLMARK,
Officin. Ferrar. POSSESS.
PARENTI INDULGENTISSIMO.

*En! fructus sumtuum atque curæ Tuæ, Parens
Optime, de me nullo non tempore suscepæ
prorsus singularis; dissertationem loquor hanc levissimam,
quam tanto majori jure Tibi consecrœ,
quanto certius sit, eam sine Te, publicam non
adspexisse lucem. Itaque simul optatam hanc,
summa cum lætitia, arripio occasionem gratissimam
meam pro innumeris beneficiis Tibi, Indulgentissime Parens,
mentem significandi. Tantum autem abest, ut hoc me officium rite unquam
peragere posse credam, ut me potius, si non prorsus
ingratus inveniar, satis profecisse putem. Quæ cum
ita sint, non est, quod a me, Pater Amantissime,
quidquam exspectes Te Tuisque in me immortalibus
dignum meritis. Id autem vere videor mihi posse
promittere, nunquam commissurum me esse, ut Turorum
memoria beneficiorum venerabundo pectore
effluat. De cetero nullo desistam tempore pro perenni
Tuo, Carissime Pater, felicitate Summum Nutmen
calidissimis adire precibus, dum vixero; futurus*

PARENTIS INDULGENTISSIMI

*filius obsequentissimus,
HINRICUS ULLMARK.*



Soboles PRÆSENTIS anni Folia sunt; INSEQUENTIS Bracteæ; TERTII Perianthium; QUARTI Petula; QUINTI Stamina; staminibusque exhaustis Pistillum. Patent hæc: per se ex Ornithogalis; Luxuriantibus; Proliferis; Plenis & Carduis.

Syst. nat. 2. p. 826. n. 10.

§. I.



emo facile dubitaverit, quin plantarum natura, quam animalium, multo sit simplicior; adeoque mirum non est, si in illius scientiæ adyta penetrare difficile sit. *Malpighius* & *Grewius*, per Anatomiam, sibi viam eo parare tentarunt; *Hales* & alii per Physiologiam. Tertiam vero ingredi viam mihi proposui, ductum secuturus §. X. in Syst. Nat. pag. 826. ut alii, quibus hæc via insveta est, eam sine errore

A

sequi

sequi possint. Antequam rem ipsam aggrediar,
 monuisse juvabit, Plantas I:mo vivere; II:do Earum
 vitam in substantia medullari consistere; III:tio Ra-
 mum itaque ultimum, cuius medulla aliquo mo-
 do lœdatur, illico extingui: confirmat hoc Ramu-
 lis Pini sylvestris, a Dermeste piniperda exesus.
 IV:to Hanc substantiam medullarem esse divisibilem
 & multiplicabilem in infinitum, ceteris paribus;
 ramus enim Salicis in terra defixus, succrescit in ar-
 borem vastæ magnitudinis; quemadmodum etiam
 inde succisi ramuli, si pari modo terræ inferantur,
 in arbores excrescunt & sic porro in infinitum. V:to
 Nec alimentum sibi ipsi comparare posse medulla-
 rem substantiam e radice; saepe enim inferior me-
 dulla liquefit & in trunco evanescit, quare etiam
 frequenter cavas Quercus videmus quotannis vi-
 vere, foliis virescere & novos protrudere ramulos,
 nulla licet medullaris substantia in trunco inani esse
 possit. VI:to Sed medullarem substantiam suum e
 cortice habere nutrimentum; qua propter, cum
 tenuis tantum circularis ambitus in Pinu decortica-
 tur, supra annulum tota perit arbor. VII:mo Cor-
 ticalem substantiam extrinsecus ex Epidermide con-
 stare, deinde ex cortice Vasculofo, qui quotannis
 in latere interiori Librum deponit; qui Liber tan-
 dem in arboribus sit substantia lignea, ut in Trunco
 transversim dissesto, ligni intueri liceat annulos
 annotinos concentricos; quare etiam in detruncata
 Quercu aut Pinu aliisque arboribus, ex numero an-
 nulorum concentricorum ætatem judicare possu-
 mus

mus arboris. VIII:vo Ubi cunque fuerit Ramus, ibi, si caulem longitudinaliter aperiamus, fibram conspicim medullarem, ab ipsi medulla enatam corticem penetrasse, tum pridem dum ramus ille in suo fuit primordio. IX:o Ubi cunque hic ramus ex crescere, aut, quod idem, ubi cunque medulla pertransiit, ibi a latere corticalis exterioris folium succrescere, quod usum adserit motum exitando, dum in aëre quasi volitat & attrahendo alimentum primordio novo, dum futurus ramulus adhuc tener est; illud vero si excidit nunquam renascitur Folium.

§. II.

Hisce observatis, e re est ulteriorem discere rei hujus progressum; quare luculentissimum ex arbore, quæ habet gemmas, exemplum proponam. Quam primum arbores verno tempore folia sua explicant, gemmam in singulis folii alis observamus. Hæc gemma, appropinquante æstate, intumescit, dum ex squamis consistere eam aperte videmus; Folium autumno ingruente decidit, gemma autem per totam hiemem remanet, & sequente vere intumescit, solvitur, elongatur, quo exsiccatæ squamæ exteriore desfluunt, interiores autem expanduntur in folia, (ad similitudinem alæ Papilionis e puppa prodeuntis) a se invicem separantur, mediante parvo illo ramulo qui elongatur, & statim habet unumquodque novum folium in suis alis suas novas gemmas squamosas, quæ in sequente anno elongabuntur & ad ramulos frondosos cum suis gemmis expandentur. Itaque dum video arborem,

suis ornatam foliis & intra illa suis instructam gemmis; quæritur, ex qua materia gemmæ istæ constant? Constant ex foliorum rudimentis, cum suis gemmulis, & hæ gemmulæ eodem modo ex suis foliolis atque gemmulis, ita ut parum habeamus perspectum in infinitum ne, aut quo usque hæc progressio sese extendat? Nam sicut natura orditur omnem vitam a minimis & fere in fluido; ita ne oculus quidem armatus longius penetrare valet. Hanc gemmarum compositionem vix ultra annum sextum se extendere, demonstrare adnitar: Et sic eodem modo res sese cum herbis, ac cum animali *Volvice globatore*, Syst. nat. pag. 810, habet, in quo oculo armato cernere licet, intra matrem natos, nepotes, pronepotes, abnepotes, usque ad progeniem sextam. Arbores Indiæ raro quidem evidentes gemmas habent, sed earum tamen loco intra substantiam corticis, in ala folii, rudimentum futuri rami delitescit, quod clarissime videmus in Ptelea & indigena Frangula, ita ut non differant, nisi tantum gemma majore vel minore, magis vel minus protrusa. Ubi cunque folium reperitur, ibi intra substantiam corticis fibra medullaris s. gemma posita est, licet sapissime marcescat & pereat, dum liberior aditus, versus minimam resistentiam superioremedullæ datur, e. g. Tulipa simplicem habet caulem trifolium & florem sine aliquo ramo. Si flos Tulipæ abscederetur, quam primum propullulat, novus dein ramus aut flos ex ala folii, non aliunde, provenit. Plantæ caule anno,

nuo, quæ gemmis carent, suos etiam protrudunt ramos ex alis foliorum, qui in arboribus anno de-
num sequenti proveniunt; atque sic in iis ex omni
ala rami excrescere possunt, sed quoniam flores
ultimi medullæ sunt fines, in quos se ad semina gi-
gnenda effundit, fieri potest, ut eo usque crescat,
donec flores omnes occupaverint alas, quo facto
naturali lege desinet crescere, quod in *Coreopsi*
verticilata vidimus.

§. III.

Spectatu dignum est, quod si arbusculam, quæ
in olla antea posita, quotannis floruit & fructus
protulit, deinde deponamus in uberiori terra ca-
lidi caldarii, proferet illa per plures annos mul-
tos & frondosos ramos, sine ullo fructu; Id quod
argumento est, folia inde crescere, unde prius e-
nati sunt flores; quemadmodum vicissim, quod in
folia nunc succrescit, id natura ita moderante, in
flores mutatur, si eadem arbor iterum in olla ser-
tur, ita ut radices intra ejus claustra coerceantur,
ne se effundant; quare etiam hortulani, qui desi-
derant, ut Fragaria in hortis uberiorem edat fru-
ctum, capillares vere absindunt radices antequam
illam transponant, nec spe excidunt, quin uberio-
res flores & fructus ferat.

§. IV.

Soboles PRÆSENTIS anni FOLIA esse patet per se.

Omnes plantas vivere, licet, quantum quidem
nobis cognitum est, non sentiant, confessa est ve-

ritas a); eas enim vesci terra, eas generare, eas
morbo laborare & eas tandem mori, videmus. *O-*
mnen vitam consistere in motu, est Physiologorum
axioma, quem in finem scilicet ut motus multiplice-
tur, Mammalia pedes, Aves alas, Pisces pinnas &c.
acceperunt; sed Plantis, quarum ora tive radices
in terra defixa sunt, unde continue instar Hirudi-
num fugunt alimentum, pro motus organis sunt
folia, quæ semper agitantur inquieto motante aëre,
in eo quasi quotidie volitant & quo crebrius & ve-
hementius a vento moventur, eo firmiores evadunt
herbæ, haut ferme aliter ac animalia majore motu
firmantur & robustiora fiunt, quare etiam Plantæ
Alpinæ, quæ assiduæ ventorum agitationi exponun-
tur, &, quæ ad Caput bonæ spei crescunt, ubi fre-
quentes turbines terram verrunt, aliis multo firmio-
res rigidioresque sunt. Contra ea vero Plantæ Ne-
morosæ, quæ suis teguntur nemoribus, Palustres
aut Aquaticæ & aphylli Fungi, qui nullum habent
motum externum, sunt fragilissimi, brevioris ævi,
nisi arborum truncis adfixi fuerint & sic earum mo-
tu præparatum succum participaverint. Raro ita-
que alias plantas aphyllas observamus, quam so-
lummodo Plantas Parasiticas, quæ aliunde id quod
ipsis deest accipiunt. Palam etiam est plantas hie-
me frondibus destitutas non crescere, sed sopore
quasi sepultas aut instar ursi hibernantis immuta-
biles stare.

Dum verno tempore, propiori calescentes Phœ-
bo

a) *Amæn. Acad. Tom. I. pag. 332,*

bo quasi reviviscunt, proveniunt nova folia & recentia motus organa, quibus reficiuntur & crescere pergit: Liber addit arboribus novum annulum annotinum, plantæ suam peragunt æstatem in perpetuo motu; hæc folia motus organum in plantis sunt, quæ tantum ad earum conferunt vitam & alimentum, ut eis cavere vix possint. Arbores more herbarum crescere videmus, ita ut ex earum gemmis mollis excrescat caulis, qui sua habet folia, & hunc caulem suis instructum foliis, quasi plantam annuam, considerare debemus, licet Liber arbores postea interne vestiat & novum efficiat annulum annotinum, priori exsiccato, in substantiam mutato ligneam, meritoque tunc pro osse habendo: Sed sic tamen est ipsa herba, qua exterius latus & folia, planta annua *a)*, etiam in semper virentibus, quæ folia sæpius tres annos retinent. Sic sustentatur planta, dum radices e terra sugunt subtilissimam tinturam humoso aquosam, dumque calor hunc herbarum succum sursum per earum vasas, minimam versus resistentiam, impellit, ita ut hic succus regredi nequeat, & dum ventus denique earum agitat folia, ut applicatio succi nutritii eo melius fiat. Accidit quidem interdum, ut insecta folia plantarum arrodant, unde fit, ut plantæ infirmiores sæpe moriantur, nisi earum radices nova possint explicare folia, quando autem id contingit in arboribus, quæ hujusmodi injuriæ tolerantiores sunt, quod ventus earum paniculas moveat quatiatque coguntur sæpiissime gemmæ, quæ sequenti an-

no

a) Syst. Nat. Tom. II. pag. 825.

no folia prolaturi erant, sua anticipare folia, idque est, ea festinanter proferre, ut planta non sit sine motus organis; nunquam enim folium, quod semel laceratum fuit aut decidit, recrescit. *Berberios vulgaris*, hac in re naturali & insigni nobis erit exemplo. Hæc deberet folia proferre alterna, quod perspicue, dum planta primo vere suos protrudit surculos, videmus; habet etiam illa, instar aliarum arborum in alis foliorum suas gemmas aut rudimenta futuri anni plantæ, sed hic accidit, ut petiolus folioferus in spinam coarctetur & ejus basis, qui mollem habet denticulum, utrinque induretur & evadet major ad spinas laterales, ut sic coniunctim fiat spina trifida, atque adeo gemma futuri anni cogitur statim hoc anno se aperire & vera gignere folia; quare etiam prima folia, quæ tum prodeunt, duo opposita evadunt & lateria, deinde alternatim, intra spinam posita, quod rarum est exemplum, in nulla alia planta a me visum.

§. V.

Soboles INSEQUENTIS anni BRACTEAS esse patet ex Ornithogal. s.

Antea diximus, omnem gemmam consistere ex rudimentis foliorum, quæ in suis alis suas habent gemmas & hæc suas, has tandem explicatas mutari in folia & interdum in flores: Sed vero simul constat flores in folia converti ubicunque luxuriosum suppetierit plantæ alimentum, atque ideo sequitur ut consideremus, qualis hic sit processus. Notum est *Salicis fructificationem* esse amentum,

quod

quod spica constat, cuius squamæ, calyces, bracteæ aut folia floralia sunt parva & foliorum structuræ dissimilia evadunt: Si in his amentis insecta mature interiores partes fructificationis consumerent, excrescunt hæ squamæ in folia floralia, consuetis foliis similia, unde *Rosa* sic dicta *Salicina* evadit. In *Pinus Abiete*, quando purpurei ejus flores feminei proveniunt, si tunc ejus pistilla destruerentur, fiunt purpureæ squamæ virides, angustiores & naturam faciemque foliorum assumunt, quod luculentissimo est indicio, has squamas in suo primordio foliis gignendis fuisse destinatas, sed a fructificatione in squamas dilatas & coloratas strobili permutatas esse. Plurimas etiam plantas videmus suis gaudere bracteis aut involucris, sicut racemum Padi, Fumariam bulbosam, Umbellatas & ut verbo dicam, maximam plantarum partem; Et licet nonnullæ earum racemos aut corymbos proferant, sine talibus manifestis bracteis, ut plurimæ Tetradyynamistæ, inde tamen nihil aliud concludere possumus, quam bracteas aut contabuisse aut non satis sese explicuisse, quum adhuc in suo primordio minimo essent. Si in racemis aut corymbis mature flosculi destruantur, bracteas postea videmus naturam assumere foliorum atque hoc ipso indicare ejusdem se cum foliis esse originis, eo tameu discrimine, quod bracteæ sint folia ex posteriori progenie, ita ut, dum gemma tempore verno foliis se in surculum explicat, sint bracteæ nihil aliud quam talia folia, quæ gemmam constituerent & in sequenti anno in folia

mutarentur; semper enim ubi flos ex ala folii pro-
venit, inde rarissime provenit primordium rami, sed
frequentissime ex foliorum interiorum alis, non flo-
res sed tantum rami excrescunt. Has itaque bracteas
in Pado, Ribe & Phytalacca vera esse folia affirmate
dicere possumus. *Ornithogali* & *Hyacinthi* species ex-
emplum hujus rei luculentissimum præbent. Bulbi
& Gemmæ hibernacula sunt plantæ, ea distinctione,
quod *Bulbi bases foliorum præteritæ plantæ* sint,
Gemmæ autem rudimenta foliorum futuræ plantæ.
Ubi Bulbus crescit, fiunt foliorum bases persistentes
& nova folia excrescunt intra priorum bases. Intra
hæc posteriora folia latet gemma aut rudimentum
futuræ plantæ, haut aliter ac gemma in alis folio-
rum arbortum. Hæc gemma constat rudimentis fo-
liorum futuri anni, quæ adhuc parva sunt & in suis
alis, perinde ac de arboribus dictum est, rudimen-
ta novæ plantæ, constituunt. Quod si contingat ut
hæc planta se in florem mutet, fit ut gemma, quæ in-
stanti anno folia gigneret, hoc anno in scapum e-
longetur: Unde accidit ut rudimenta foliorum
gemmalia maximam sui alimenti partem amittant,
quod succus sursum ad fructificationem trahatur,
quare folia parva evadunt, aliamque accipiunt stru-
cturam & facile marcescunt, quæ tum a Botanici
Bracteæ nominantur. Ita ut bracteæ nihil aliud
quam folia sint, quæ, nisi planta floresceret, infe-
quenti anno vera fieri folia deberent. Differentia
plantas annuas inter & perennantes nulla alia, quam
hæc est, quod tota medulla in plantis annuis ad
fru-

fructificationem celeriter expellitur, sed in perennibus, qua magnam partem, in trunco aut radice retinetur.

§. VI.

Soboles TERTII anni est PERIANTHIUM, quod patet ex Luxuriantibus.

Calyx est tegumentum extimum fructificationis e cortice *Syst. Nat. pag. 826. §. 9.* Cortex protrudit folia, ita ut folia nihil aliud sint, quam soboles e cortice promotu plantæ, ubique fibra medullaris corticem penetrat & novam potest producere vitam. Dictum est in omni gemma aut primordio plantæ delitescere rudimenta foliorum, parva & constipata, & hæc etiam folia in suis alis alias minores continere gemmas, quæ etiam squamis foliaceis cum suis minoribus gemmis constant: quoisque autem ille sese extendat progressus hactenus nemo dicere potuit. Quando nunc fructificatio perfectionem consecuta expellitur, perdunt tertii anni folia abundantiam adfluentis succi & sic a se invicem non removentur, sed inter se cohærescant, data liberiori via medullæ ad suum properantis fastigium & tum Perianthium conficiunt folia. Quod vero Perianthium nihil aliud sit quam approximata plantæ folia, id aperte ex plurimis plantis videmus. *Pyri* & *Mespili* calyces sæpe ad perfecta folia excrescant. *Rosæ* calyx foliosus exemplum adhuc longe clarius suppeditat, cuius folia calycis ipsius plantæ foliorum numerum æquant. Non vero alia plantæ hujus rei manifestius præbet exemplum

quam quidem *Mesembryanthemum barbatum*, cuius folia hanc prorsus singularem habent faciem, quod ipso apice, setis rigidis fasciculatisque sint barbata, qualia in nulla unquam alia planta vidi, nisi forte in *Cacto mammilari*. Quando vero calycem *Mesembryanthemi barbati* intuemur, eum quinque foliolis apice barbatis constare observamus, ejusdem prorsus singularis formæ, quam ipsa habent folia caulinæ, quod perspicuum est signum calycem modificatum esse ab ipsis foliis. Accidit quidem sæpiissime, ut folia calycis sint parva, coriacea, exsucca & ita a foliis caulinis distincta, ut sunt squamæ gemmarum ab ipsius arboris foliis; licet unum idemque agnoscant primordium; folia autem calycina nihilo tamen minus ejusdem esse naturæ cum foliis plantæ, id alia ratione videre possumus, examini subjiciendo plantas luxuriantes floribus *proliferis* e. g. *Rosam* aut *Geum rivale*, cum sunt prolifera, tunc enim ob exuberans alimentum, quod adfertur, excrescunt folia calycina, quæ aliquin parva sunt & perfecta fiunt folia, magnitudine, figura, consistentia & habitu foliis ipsius plantæ simillima, ita ut nullum sit dubium, quin folia calycina a principio ejusdem fuerint cum foliis caulinis substantiæ.

§. VII.

*Soboles QUARTI anni PETALA, quod patet
ex Proliferis.*

Corolla constat petalis, quæ sint tegumentum interius floris e libro factum. Dum fructificatio fit, de-

dehiscunt partes internæ plantæ spontanea lege.
 In trunco exterior est cortex, deinde liber; Calix
 e cortice enascebatur, quare necessarim est, ut
 petala ex libro formanda sint. Liber est mollis,
 tener, diaphanus; quare mirum non est hunc in
 flore talia gignere petala, quæ plus quam ipse ca-
 lyx expanduntur, quæ odorem imbuunt varios-
 que induunt colores & caduca præterea sunt ac
 magis decidua. In trunco vidimus, quomodo quot-
 annis cortex intrinsecus librum gigneret, quomo-
 do ille ibi quotannis qua maximam partem in ligne-
 am mutetur substantiam & in arboribus annulum
 ligni annotinum efficiat. Partem autem ejusdem
 libri cortex sibi in nutrimentum conservat, ita ut,
 licet extrinsecus in multis arboribus quotannis ex-
 corietur, pristinam tamen suam retineat crassitatem.
 Quoniam vero cortex & liber arctissime sunt primo
 vere combinati, ita ut tum temporis una eademque
 sint materia, mirum non est, hæc duo in flore vernali
 ita esse sæpius conjuncta, ut non qua calycem &
 petala sint distincta, verum etiam, ut sæpe difficile nobis
 sit dictu calyx ne sit an corolla floris, dum hæc duo
 non sunt separata; imo Botanici ipsi confitentur in
 istiusmodi naturæ statu, nullos esse limites inter caly-
 cem & corollam. Per multa etiam exempla nos do-
 cent plantas vernales, dum cortex & liber nondum
 in trunco sunt separata, floribus qua calycem atque
 corollam gaudere conjunctissimis; exempla fstant
Daphne, *Ulmus*, *Anemone*, *Helleborus*, *Caltha*, *Leu-*
cojum, *Galanthus*, *Narcissus*, *Fritillaria*, *Tulipa*
 &c.

&c. Hinc est, quod hi flores latere interiori instar corollæ sint colorati, sed, si permanferint, fiunt tandem peræcta florescentia, virides, sicut videre est in *Helleboro*, *Caltha*, *Daphne*, *Polygono*, *Junco* &c. Hinc patet illa quæ inter corticem & librum intercedit cognatio, ita ut cortex librum ignat & liber lignum, ut alterum in alterum transeat & mutetur, quod luculenter a processu insitionis patet. Quod si ad primordia plantarum descendere velimus, ubi ipsa generatio intra ipsas gemmas peragitur, reperimus illud ad finem tam subtile, pellucidum & molle evadere, ut sensibus nostris assequi non possimus, quasi primum nihil aliud esset, quam gelatina e tenuissimo libro; omnis enim generatio in fluido proximis incipit, adeo ut in eam facile adducar sententiam, medullam & librum omnium prima esse plantæ stamina. Immo credibile est ipsum corticem, qui etiam a tenuissimo principio sua dicit primordia, qua exterius latus ab ipso libro indurari, ita ut suis limitibus hæc duo distinguere difficile nobis sit; quæ cum ita sint mirum non est, albam *Hellebori* nigri corollam, peræcta florescentia, perianthium viride inde evadere & lacteam corollam *Ornithogali* calycem viridem tandem fieri. In luxuriantibus *proliferis*, *Gei* & *Rosæ* floribus, videmus quomodo corolla prorsus evadat viridis & natu ram foliaceam calycis induat. Quum calyx nihil sit aliud, quam folia & singula folia in sua ala primordium plantæ inclusum teneant aut gemmam, quæ rudimentis foliorum constabit subsequentis anni;

ni; sequitur petala idem necessario efficere primordium, quæ immediate intra folia calycina veniunt, ergo deberent etiam petala, nisi flores fierent mutari in folia insequentium annorum.

§. VIII.

*Soboles QVINTI anni STAMINA esse, patet
ex Plenis.*

Observavimus antea librum a latere corticis interioris generari, eum, deinde a cortice separatum, substantiam ligneam vestire, in lignum indurari & novum tandem annulum facere concentricum. Ea est ligni natura ut longitudinaliter scindi & in fila ac fibras deduci possit: eodem modo sunt staminum filamenta filiformia. Stamina esse substantiam ligneam luculenter ex *Afaro* patet; si enim ejus caulis abscinditur, fila duodecim purpurea in ipsa substantia linea videbimus, donec in ipsa filamenta staminum desinant. Filamenta suas anteras polliniferas proferunt; pollen est vesiculare & in se continet, nescio quid subtile, quod sensibus assequi non possumus. Hoc pollen rumpitur, dum sub ipsa florescentia ad humidum stigma adhaerescit, & explodit suum impalpabile, quod per stylum ad rudimenta seminum adtrahitur, sine quo rudimentum medullare novæ plantæ, intra semen nunquam germinat; quare maxime probabile est, cum exterior tunica ligni, ex qua stamina proveniunt, nuperrime assumserit substantiam ligni e gelatinoso libro, pollen in se tenuissimam comprehendere substantiam libri, quæ ad medullarem seminum substan-

stantiam perveniat, eamque vestiet substantia corticali nutritiva gelatinosave libri: mihi saltim videor illud in seminibus Mirabilis observasse, Ut vero naturæ vestigia a posteriori sequeremur, ea qua incipimus via, Corticem notavimus exferere folia, bracteas & calyces; Librum in interiori ejus late-re generari & mutari in petala; eundem librum substantiam ligneam vestisse & in lignum denique induari. Ulterius observabimus *Papaver* e. g. quod in solo macriori flores protulit simplices, in solo fertiliori ob copiosum nutrimentum, flores proferre plenos, id est, corollas multiplicatas staminibus exclusis, quum stamina evadunt petala, ubi saepe antherarum rudimenta margine interiori petalorum insidere videmus, unde haut forte immerito concludimus substantiam ligneam a copioso nutrimento iterum in substantiam libri emollitam esse, quæ in flore in petala mutantur; quo fit ut pistillum evadat sterile, si omnes antheræ exclu-duntur & stigma non accipit pollēn aliunde. Nunc quoniam ex ala folii provenit primordium plantæ & ex ala folii calycini petala, quæ nihil aliud quam adhuc teneriora folia sunt, & hæc petala etiam ha-bent, æque ac cetera folia, in alis sua folia seriora, sequitur stamina talia esse, nam in petala mutari possunt, uti petala in folia calycis.

§. IX.

PISTILLUM, staminibus exhaustis, esse ULTIMI anni folia a plenis & Carduis.

Librum interiori corticis lateri primo vere ad-hære-

hærcere diximus & eum tandem, ingruente æstate,
 separari a cortice & ad interiorem substantiam ad-
 hærescere, atque in exteriorem tunicam annotinū
 ligni indurari diximus. Indicavimus etiam librum
 & lignum in suo primordio ita esse gelatinosa, ut
 ea sensibus distinguere non possimus, quum omnis
 generatio in minimo aut fere in fluido peragitur,
 mihi itaque valde probabile videtur, librum esse
 præstantissimum, quod medullam vestiat, eumque
 duas habere superficies, externam corticalem & in-
 ternam medullarem; observavi enim, dum pistil-
 lum se profert, fibrillas medullares, unde germi-
 na crescunt, semper esse vestitus membrana aliqua,
 gerumen stylumque obvestiente, licet tam tenuis sæpi-
 simus sit, ut vix aliquod reperitur corticale, quod
 stigma vestiat. Ut vero pistillum credamus esse ru-
 dimentum sexti anni foliorum, eo inducimur, quod
 non sine singulari voluptate vidimus quomodo flo-
 res pleni *Cardui heterophylli* & *tatarici*, in quibus
 flores majores evasere, seminum *Pappo* dilatato in
 foliola angusta laciniata, *Corollis* majoribus, crassi-
 oribus, instar foliorum, viridibus & ferratis, *sta-*
minum filamentis castratis, sed *stylo*, quod singu-
 lare, enato in duo foliola viridia serrato-ciliata, ad
 similitudinem bractearum. Quin etiam mihi vide-
 tur, quod ad plantas flore composito ex foliis se-
 cundi anni *Calycem* communem formari & ex tertii
 anni foliis *Paleas*, licet in omni genere compo-
 sitorum non evolvantur, & *pappum* gigni ex quarti
 anni foliis, in jam nominatis *Carduis*; Quinti anni

folia tum constituerent corollam, quod diximus de viridibus & serratis flosculis. Sexti anni folia e staminibus me non in compositis vidisse fateor, sed illorum loco folia pistillacea, quæ in compositis aut plenis sunt frequentissima. Quod si ulterius pistilli mutationem in folia ostendere foret animus, *Ranunculi*, *Anemones*, *Gei*, *Rosæ* &c. flores proli-
eros in scenam proferre possem, sed sufficient dicta.

§. X.

Conclusio.

Ex hactenus dictis, nullo negotio quisque intellexerit hujusce indolem & naturam Plantarum: Sed juvabit tamen in brevem ea omnia cogere sum-
mam. Cerno arborem in exigua satam olla ma-
cram & miseram quotannis flores ferre uberrimos;
quod si illam in pingui & humida terra deinde de-
posuero, illam video maximos ramos & copiosissi-
mas proferre frondes, sed ne minimum quidem
fructificationis signum ostendere: Unde adparet
quomodo arbor in posteriori casu suam mutaverit
naturam, in priori autem metamorphosin subierit,
sed sic tamen una eademque est; clarissime enim
in bulbosis patet, folia in sequentis anni fieri bra-
cteas, quemadmodum etiam *Musæ* ad singula folia
adhærescunt rudimenta foliorum licet tabuisserint:
denique dum tale rudimentum affluxum accipit,
ut possit extendi & crescere in scapum, abeunt
folia in bracteas, nunc caducas & coloratas, quæ
in non florente viridia & magna evasisserint folia.
Quod folia *Calycis* nihil aliud quam caulinæ fue-
runt,

runt, quæ in primordio suo cohæserunt, postea vero data liberiore via succo nutritio non tantum acceperunt affluxum nutrimenti, ut ad similitudinem bractearum a se invicem distrahi potuerint, id vero clarum est ex Pinu, Salice & pluribus aliis, quibus etiam *Calendulam* *proliferam* adjecero, quæ ramos aut pedunculos ex squamis calycis communis protrudit. Vix credidero folium esse, quod rudimentum novæ plantæ in sua ala non inclusum habeat; & hæc nova rudimenta cum foliis deinde enascentibus se produnt. In alis foliorum calycis latent petala, quæ foliis gemmæ respondebunt intra folia calycina, & quoniam hæc petala folia viridia evadere possunt, est res extra controversiam posita: Hepar enim Cor fieri nequit aut Cor stomachus, sed singula suum retinent principium, quod quum semper modificetur aliud aliudque videtur. Sic inter arbores Padum intueamur, cujus bracteæ hoc anno vigent & eodem in loco quo folia sequentis anni officium obituaræ essent, si calyx tertio anno abiisset in folia, Petala quarto, Stamina quinto & Pistillum sexto anno, sed nunc si illa arbor florebit, dicto modo suas anticipabit partes, ut res mihi videatur similis ei, quod contingit in planta annua (& quid aliud est planta annua, quam liberior propulsio liquorum & evolutio partium?) & id quidem eo modo, ut quod in arboribus per plures annos fit, id uno anno in plantis peragatur. Dum contingit, ut infecta frondes arborum corrodant, explicant særissime eadem suas (pro futuro

anno) parvas gemmas in folia (folium enim destrutum renascitur nunquam), id est, anticipant folia futuri anni, dum illæ bractæ, quæ sequente anno flores proferrent, accipiunt affluxum humorum, nascuntur folia etiam sequentis anni, unde accidit, ut in eo casu arbor vix sequenti anno florereat. In antecedentibus monstratum est, gemmas ex alis foliorum oriri, nullo vero alio modo; hanc gemmam ex squamaceis foliorum rudimentis constare, quæ in suis alis subtiliores & minores habent; gemmas easdem non posse non eisdem constare partibus: Id vero, quoisque se extendat nemo facile dixerit, nisi forte per metamorphosin floris solvi possit, ut ad sextum progrediatur annum, si quidem plantam ut florentem concipere nobis licet. Nemini vero id scrupulum injiciat, quod caulis annuus sæpe primo anno floribus vestitur: quod enim oculis videmus id pro vero habendum est, in ipso nimirum germine latere rudimentum novæ plantæ cum suis gemmis foliaceis, quæ intra se suas habeant, oportet, gemmas & gemmulas foliaceas, quod in Amygdali semine patet *). Quisquis hanc plantarum intellexerit evolutionem, is multa solvendi dubia manifestam invenerit viam, scilicet quomodo ex *Amento* oritur *Spica*, ex *spica Racemus*, ex racemo *Corymbus*, ea unica ratione, quod bases foliorum elongantur. Quare vegetatio ibi desinat, ubi incipit fructificatio; quare gemmæ arborum eodem anno sua non explicitent folia

*) *Philos. Bot.* 301.

folia cum petalis, nisi folia corrodantur; quare ar-
 bor in macra terra floreat, sed foliis in pingvi luxu-
 riet; quomodo flores pleni non specie, sed modi-
 ficatione differant; quomodo folia justum sui ortus
 tempus anticipent, ut semina æque celeriter vitam
 plantæ ac ipsa gemma multiplicent; ita ut propa-
 gatio e semine & gemma fiat coæva. Sed ne ultra
 modum ex crescatur hæc Dissertatio telum tractatio-
 nis abrumpam, oportet, aliis relicturus ea perse-
 quendi gloriam, quorum ego primas tantum line-
 as duxi: hanc autem a me monstratam viam, quis-
 quis me perspicacior institerit, is, non sine sum-
 ma voluptate, totam emetietur vegetationis silvam.
 Non quidem me fugit nebulis subinde hoc emensu-
 ris iter offundi, istæ tamen dissipabuntur facile,
 ubi plurium uti licebit experimentorum luce; na-
 tura enim sibi semper est similis, licet nobis sæpe
 ob necessiarum defectum observationum a se dis-
 sentire videatur. Totius autem rei fundamentum
 in eo situm est, quod plantæ eodem fere modo se-
 se habeant ac Vermis Volvox globator: quod sin-
 gula folia in sua ala habent (nisi destructa fuerint)
 suas gemmas (id est primordium novæ plantæ) in
 usum futuri anni; & hæc posterior gemma etiam
 e foliis & eorum tertiac progeniei gemmis consta-
 bit, hæc ultimæ gemmæ non sine foliis & suis mi-
 noribus quartæ progeniei gemmis concipi possunt
 & sic in ceteris.

Quando flos nascitur abeunt folia gemmacea

anni sequentis in bracteas, tertii in calycem, quarto
in petala, quinti in stamina, sexti in pistilla,
quod a situ judicatur; confirmatur a posteriori,
retardata fructificatione incepta, nam folium sine
primordio vegetationis s. gemma conci-
pere non possum.

S. D. G.

